



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. X. An liceat sacerdoti omnino à consecratione Eucharistiæ abstinere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS V.

Utrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit?

Resp. affir. **I**NTELLIGIT, validè. Responsio autem est affirmatiua, de qua supra quaest. 64. in dubijs circa art. 5. dictum est.

ARTICVLVS VI.

Utrum Missa mali sacerdotis minus valeat quam Missa sacerdotis boni?

20. **P**RÆMITTIT duo in Missa consideranda, ipsum scilicet Sacramentum, quod conficitur, & orationes, quæ sunt pro viuis, & defunctis, quæ orationes rursum possunt dupliciter considerari, scilicet, & in quantum procedunt ex deuotione particulari sacerdotis, & in quantum ab eodem proferuntur in personâ totius Ecclesiæ. his positis, Respondet tribus conclusionibus.

Resp. Prima, quantum ad ipsum Sacramentum, Missa mali sacerdotis non minus valet, quam boni, quia etiam malus sacerdos potest Eucharistiam consecrare. adde etiam quantum ad fructum prouenientem ex opere operato non minus valere Missam mali sacerdotis, quam boni.

Secunda, si spectentur orationes, quæ in Missa dicuntur in quantum habent efficaciam ex deuotione sacerdotis, non tantum valet Missa mali sacerdotis, quam boni.

Tertia, si verò eadem orationes spectentur, prout proferuntur à sacerdote in personâ Ecclesiæ, æquè utilis est Missa mali sacerdotis, atq; boni; quarum conclusionum doctrina in materia de sacrificio examinabitur.

ARTICVLVS VII.

Utrum hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, eo quod in illis character sacerdotalis remaneat, qui, ut supra quaest. 63. est indebilis. de hæreticis etiam idem ostensum est supra, quaest. 64. art. 5. dub. 2. vbi ostendimus ad valorem Sacramenti non requiri fidem in ministro.

Aduerte ex responsione ad 3. quod orationes, quæ sunt in Missa nomine Ecclesiæ non habeant efficaciam factæ ab hæretico, schismatico, excommunicato; cum enim hi sint ab Ecclesia præcisi, non deputantur ab eâ, ut preces illius nomine fundant.

ARTICVLVS VIII.

Utrum sacerdos degradatus possit hoc Sacramentum conficere?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, cuius est eadem ratio, quæ superioris articuli.

ARTICVLVS IX.

Utrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus communionem recipere, vel eorum Missas audire?

Resp. **P**RIMA conclusio, non licet communionem recipere ab ijs, qui per sententiam Ecclesiæ sunt præcisi, nec licet eorum Missas audire.

Secunda, licet communionem recipere à peccatoribus non præcisis per sententiam Ecclesiæ, licetque eorum Missas audire: de doctrinâ huius articuli videre licet quaest. 64. art. 6. dub. 2. vbi ostendimus, quibus casibus liceat Sacramenta à ministris malis recipere.

ARTICVLVS X.

An liceat sacerdoti omnino à consecratione Eucharistiae abstinere?

Resp. neg. **N**ECAT, quod etiam intelligit de sacerdote nullam animarum curam habente, de quo exactius in materia de sacrificio.

QUESTIO LXXXIII.

De ritu huius Sacramenti?

EUCHARISTIA non tantum habet rationem Sacramenti communem cum alijs, sed etiam peculiarem habet rationem hostiæ quæ immolatur in Ecclesia, & per quam excellentissimus cultus Deo exhibetur. de priori ratione egit S. Th. præcedentibus quaestionibus, in quibus explicuit naturam Sacramenti Eucharistiæ, materiam ex qua, formam, per quam conficitur, item proprietates, & conditiones, quæ tum ratione specierum, tum ratione corporis, & sanguinis existentis in hoc Sacramento competunt. 3. effectus. denique aliqua necessaria ad dignam huius Sacramenti perceptionem. de posteriori ratione agit breuissimè in presenti quaestione, de qua cum Doctoribus præsertim modernis propter nostri temporis hæreticos paulò fusiùs est agendum.

ARTICVLVS I.

Utrum in hoc Sacramento Christus immoletur?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, quod est de fide, ut in sequentibus fusiùs ostendetur. Probat duabus rationibus; prior est, consecratio seu celebratio huius Sacramenti est representatio sacrificij crucis, igitur Christus in eâ celebratione dici potest immolari, saltem representatiuè, cum signa soleant accipere nomina rerum signatarum. posterior est, quod per consecrationem huius Sacramenti nobis applicetur fructus passionis Christi, scilicet ex opere operato, ergo huiusmodi consecratio est immolatio, & sacrificium, cum fructus passionis ex opere operato solum applicetur per susceptionem Sacramentorum, & per sacrificium; consecratio autem